J. N. J.

PARODIA SACRA

De

CREATIONE MUNDI

ad

Caput 1. Geneseos

Secundum ductum

Fabulæ Ovidianæ

primæ

Lib. 1. Metam.

In nova fert animus conversas dicere formas
Corpora, carminibus celebris quæ Naso Poëta
Ethnicus à prima descripsit origine mundi,
Quæq; simul Sacris ex puris fontibus hausta
Fictarum immersit rerum cœnoq; lutoq;
Atq; propagavit cultu et pietate profana.
Ergo gentilem si gratia vestra Poëtam
Adjuvit, hinc etiam mihi, quamvis balbutienti,
Mentes polliceor æquas auresq; benignas,
Et quæ more sacro paulo majora canentem
Numinis in nostri laudes audire parata.
Ante mare et terras, et quod tegit omnia cœlum,
Nullus erat toto naturæ vultus in orbe:
Moles nulla fuit, nullum Chaos, undaq; nec ulla,
Nullum pondus iners, non ullaq; semina rerum:
Sed DEUS omnipotens, quæ continet arduus æther,
Omnia principio verbi virtute creavit,
Fecitq; ex nihilo discordia semina rerum.
Principio ex nihilo, repeto, discordia rerum
Semina formavit, rerum massamq; paravit
Certam, quæ, veluti rude pondus, inanis ab omni
Re vivente, fuit picea caligine pressa.
Nullus enim mundo præbebat lumina Titan,
Nec sua crescendo reparabat cornua Phœbe,
Ponderibus librata suis, nec in aëre tellus
In medio pendebat adhuc, nec et Amphitrite
Brachia terrarum tendebat margine longo.
Insuper accessit tenebris discordia rerum:
Pugnabant siccis humentia, bella movebant
Frigida cum calidis, instabant mollia duris,
Pondus habens itidem sine pondere facta lacessit.
Omnia tartareis residebant tecta sub umbris!
Usq; die lucis, qui primus in ordine rerum,
Has DEUS et melior tenebras Natura diremit,